



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Kiliani Franciæ Orientalis, Qvæ Et Franconia Dicitvr;
Apostoli, Gesta, Varijs cum notationibus historicis,
dogmaticis**

Serarius, Nikolaus

Wirceburgi, 1598

VD16 S 5993

XV. Cur Resurrectionis Dominicæ tempore babtizatus Franconiæ Dux.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64132)

thias suprâ; hæc Tacitus. Cæterum nec cohibere parietibus Deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, Deorumq; nominibus appellant secretū illud, quod sola reuerentia vident. Auspicia sortesq; vt qui maxime obseruant.

Claudianus. *Vt procul Hercyniæ per vasta silentia syluæ
Venari tuto liceat, lucosq; vetusta
Religione cruces, & robora numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impune secures,*

l. 1.

S. Bonifacij historia, cum de Altsaxonibus plura dixisset, pergit. *Alij lignis, & fontibus clam, & palam sacrificabant: Alij aruspicia, diuinationes, præstigias, incantationes sectabantur. Pleriq; alijs nefandis sacrilegijs erant addicti. Pauci vero in via veritatis, quam semel didicerant, persistebant, quorum quidem consilio, arborem quandam miræ vastitatis, quam prisca voce Iouis Arborem, seu vt ait l. c. Paulus Diaconus, Sanctiuum, nuncupabant, in loco qui Geismere dicitur, seruis Dei ipsi astantibus exscindere tentauit S. Bonifacius. Quam stultissimam superstitionem ipsi etiam Ethnici damnarunt Seneca, Plinius, Tyrius Maximus.*

Ep. 41.

l. 1. 6. 7.

XV.

CVR RESVRRECTIONIS DOMINICÆ
TEMPORE BAPTIZATVS
FRANCONIÆ DVX.



Ecclesia olim, sed maxime posteaquã Tyrannis, hostibusq; suis deiectis, augustum caput extulit, ad sacri baptismi, religionisq; dignitatem pertinere iudicauit, vt nisi si aliud, vel necessitas, vel casus aliquis flagitaret; adultiores Catechumeni, eo præterquam Paschatis aut Pentecostes tempore, non initiarentur, prout legere est in Siricio, Leone, Gregorio II. Hieronymo, Augustino, & Beda. Accesserunt & Epiphania, de quibus Sophronius: Veterisq; moris supersunt hodie vestigia in Sabbati magni, vigiliæq; Pentecostes precibus, & cæremonijs, adeoq; in

Ep. 1. 6. 2.

Ep. 4. 80.

vit S. Bonif.

contra Ioh:

de cura pro

mort: 12.

l. 1. bist. 20.

tota

tota Hebdomade Paschali. Hinc enim & sequens Dominica, nomen, *Quasimodo*, ab exhortatione, quæ recens baptizatis ex D. Petro fit; mutuata est, itemq; ab Albis vestibus, quas ut apud Areopagitam, Cyrillum, Ambrosium, & Augustinum est; ijdem in Baptismo sumptas die illo exuebant: simulq; Romæ quidem, antiquissimo ritu, quemadmodum præfatione in Syriacum testamentum admonet Widmanstadius; cereas, imagunculas accipiebant, quibus, ab impressa effigie, nomen, **AGNVS DEI**. Quin & eadem Dominica **NOVA** vocatur in Syriaco testamento i. Petri cap. i. & à D. Greg. Nazianzeno, qui & eius nominis causam dat; oratione de noua dominica.

*Prati 214.
215.
ep. l. c. 2.*

XVI.

DE FRANCIAE DVCIS VXORE,
QVÆNAM, ET AN VIVENTIS
FRATRIS VXOR?

Vernerus Scellam nuncupat, Giselam aliqui, Sigebertus Geilanam, Auctor noster Geilam, quæ *pro Gentilitatis ritu*, inquit, *fratri ipsius ducis, matrimonij iure, fuerat copulata*. Quærunto verò interdum aliqui, vixeritne ad huc iste frater, an mortuus iam esset. Comparatur enim ab Auctore S. Kilianus cum Iohanne Baptista, qui viuentis adhuc fratris vxorem in Herode damnarat. *Iohannes*, inquit, *& Kilianus qui nuptias illicitas reprehenderunt, foeminea virulentia mortem perpepsi sunt*. At ne apud Gentiles quidem, nisi forte barbarissimos, de quibus Strabo, superstitis fratris coniugem accipere fas fuit, & fratrem istum in viuis tum haud fuisse satis Auctor iusnuat, dum particulam, **QVONDAM**, apposuit, eo prorsus loquendi modo, quo eadem in re vsus est Imperator. Mos verò ducendarum, quas fratres reliquissent, viduarum, vix Romæ vnquam fuit, ut in vno diuite Crasso Plutarchus ostendit; Crebrior apud Ægyptios, Zenone Imperatore teste: apud alios etiam de qui-

*Fascic. temp.
anno. 694.
Pantal. l. c.*

*l. vlt. c. de
incest.*